

Beiheft

2

S 331

1301 (1300) März 19.

Der Knappe Hermann von Gansebroke verkauft eine dem Pfarrhause benachbarte Hausstätte an den zeitigen Pfarrverwalter. [4 331]

Noverint universi, ad quos presentes littere pervenerint, quod ego Hermannus de Gansebroke famulus constitutus coram castellanis et iudicio in Dulmene vendidi Gherhardo, perpetuo vicario ecclesie in Dulmene, pro quadam summa pecunie quandam aream sitam apud mansionem ad eandem ecclesiam pertinentem, ita videlicet, quod dicta area ad eundem Gherhardum et successores suos perpetuo pertineat coniuncta priori aree, sub eodem iure, quo priorem aream sive mansionem idem Gherhardus et antecessores sui in antea observabant, secundum quod in instrumento priore super area confecto plenius continetur. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillo castellanorum castri Dulmene, quod nos castellani predicti ad preces predictorum Hermanni et Gerhardi rectoris predicto ecclesie profitemur appensum, communitur. Datum et actum anno Domini M^oCCC^o in dominica, qua cantatur Judica; hiis presentibus Hinrico rectore cappellule castri in Dulmene et Johanne cappellano sacerdotibus; Hinrico de Roderpe, Hinrico dicto Norendin et Gerhardo Brunen militibus; Johanne de Rodepe, Hermanno et Ludolpho fratribus dictis Verenze, Gherlaco de Gansebroke, Johanne dicto Schenke et Wilhelmo Brunen famulis; Hermanno iudice et villico in Dulmene, Gherlaco Stockinc, Gerhardo dicto Traghen, Hinrico dicto Hole, Thiderico upper Stenweghe, Johanne dicto Cule, scabinis opidi in Dulmene.

Schwarzes Kopiar fol. 10/10^v. (Das Kopiar hat hier wie in Urk. Regest 2 immer Gansebroke; wahrscheinlich ist aber wohl Gausebroke zu lesen, vergl. Regest 5 u. 6.)